Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

# Johannis Mulmanni, SS. Theol. dum viveret, Licent. ejusdemq[ue] Prof. Publ. ord. ad D. Nicolai Archi-Diac. & Alumnorum Electoralium Ephori, in Academia & Ecclesia Lipsiensi, Commentarius In Librum ...

Mülmann, Johann

Dresdæ, MDCCI

VD18 10367071

Caput Octavum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18377

Visual Library

est, qvàm improborum patrocinium, qvod redundat in perniciem totius urbis, juxta illud Ecclesiastæ 9. c. v. 18. *Unus peccator multa bona perdet, sicut muscæ morientes perdunt suavitatem ungventi.*

VII.

In regendo cœtu militari tanta major adhibeatur severitas, qvanto martia ingenia impatientius ferunt bonæ disciplinæ repagula. Hæc potuit inter alia esse causa, cur DEus sententiam mortis adeò duram in totam Achanis familiam dicere voluerit &c.

# CAPUT OCTAVUM.

## *Argumentum sive ἐποχὴ Capitis.*

POstqvam per Achanis supplicium furor DEI à populo aversus est, redit Josue collectis viribus ad oppugnationem urbis Hai, qvam ut susciperet, iterata auxilii divini promissione animatus est: ubi insidiosa sanè via urbem omnesq; incolas gladio & flammis devastat: jumentis & reliqva præda inter milites divisis. His peractis propitio numine, extruit altare in monte Hebal, atqve inibi totam DEI legem recitandam omniq; populo prælegendam curat.

Di-

## *Divisio Capitis.*

*Partes capitis duæ* sunt. 1. Tractat *opus politicum*, de oppugnatione & excidio urbis Hai. 2. Continet *opus Ecclesiasticum*, de vero DEI cultu, ædificatione altaris & publica legis recitatione peracto.

*In prima parte* consideretur 1. Mandati divini θέσις i. e. *qvale mandatum DEus dederit*, usq; ad v. 3. 2. Ejusdem mandati, ἀπόδοσις i. e. *effectio seu executio* à versu 3. usq; ad 30.

## *Analysis Logica & Rhetorica:*

*Ne timeas neqve formides*) Isthæc *oratio DEI* constat *duplici argumento*: Est enim 1. παραμυθητικὴ *consolatoria*, excitans Josuam, ut cum omni exercitu castra ad urbem Hai animo magno & confidenti moveat. Additur αἰτιολογία sumta *ab eventu duplici*: sive à spe duplicis commodi. *Una* est spes occupandæ terræ, & vincendi hostes v. 1. Verba textus: *Tradidi in manu tua regem.* Amplificatur hæc ratio συγκρίσει seu *comparatione* victoriæ Jerichunticæ v. 2. Verba textus: *sicut fecisti Hiericho. Altera* spes commodi est expectatio dividendæ prædæ; Verba Textus: *Prædam verò & animantia diripietis vobis.* Deinde *hæc oratio est* παρακλητικὴ jubens Josuam ex insidiis præsidiariam cohortem ponere.

*Surrexitqve Josue*) Probat hîc Josue DEo debitam obedientiam alacri studio exeqvendo omnia, qvæ DEus præceperat: nec frustratur eum præconcepta victoriæ expectatio.

Deſcribitur autem 1. *Joſuæ* πρᾶξις, qvomodo exercitus ſelegerit, inſtruxerit, diſpoſuerit usq; ad v. 14 Deinde deſcribitur *regis Haini* ἀνάπραξις: qvanta molitione & conatu Haini cives ſeſe Iſraëlitis oppoſuerint, qvamvis fruſtrato ſanè eventu, usq; ad v. 18. Tertiò σύμπραξις *ſeu opitulatio in inſidiis* latitantis turmæ, qvæ dum è latebris prorumpit, ac civitatem militibus vacuam ſuccendit, perterrefiunt hoſtes fumo retrò conſpecto: Joſue vero cum reliqvo exercitu ita excitatur, ut DEo arma fortunante, exoptatiſſimam victoriam reportet: Urbe in cumulum cinerum redacta: populo deleto: ſpoliis ablatis: rege ſuſpenſo, usqve ad v. 30.

## *Analyſis Grammatica.*

*Omnem multitudinem pugnatorum*) Qvod DEus univerſum exercitum ad hanc oppugnationem prodire jubet, id procul dubio factum eſt duplici de cauſa. 1. Ad diminuendum metum, in qvem eos conjicere poterat copiarum militarium tenuitas. 2. Non eſt dubium, qvin hoc factum ſit ad excutiendam præſumtionem, ne Iſraëlitæ hoſtem ob paucitatem contemnerent, ut antea fecerant, ſomniantes, ſe ejus potentiam paucorum militum fortitudine facilè labefacturos & diſperſuros eſſe.

*Aſcende in oppidum Hai*) Utitur autor verbo aſcendendi reſpiciens urbium ſitum. Nam Hai ſita erat in locis montanis, Hiericho con-

contrà in vallibus: unde & Salvator de Hiericho loqvens descendendi verbo utitur Luc. X, 30.

*Prædam verò & animantia.)*

Est ἐπανόρθωσις eorum, qvæ nuper dicta sunt. Cum enim DEus urbem Hai haud aliter tractare jussisset atqve Jericho, comburendo scilicet eam ac perpetuæ solitudini devovendo, jam excipit prædam i. e. omnem supellectilem & argentum ad sacros usus reservari cupit.

Si verò qvis qværat, *qvid causæ, qvòd DEus Jericho & Hai igne perdere voluerit*, parcens postea cæteris Cananitarum oppidis? ei responderi potest, factum id esse *duplici de causa*. 1. Ut ipse ostenderet justissimam suam adversus gentes idololatricas indignationem, qvod sit ignis consumens incolas, loca, ædificia, pecora, nec non omnia propter idololatriæ scelera. 2. Deinde ut vicissim paternæ suæ erga Israëlitas humanitatis illustre specimen ederet, aperiens ipsis urbes ac domus, ut alienis laboribus extructas, ita omnium rerum cornucopia affluentes, sicuti promiserat Devt. VI, 10. Pereunt ergò hæ duæ urbes ex odio antecessorum, hæ conservantur ex amore & benevolentia successorum.

## QVÆSTIO I.

## *An liceat insidiis uti adversus hostes?*

*Sententiæ negativæ* rationes sunt fermè hæ:

I. *Non licet*, nam *insidiæ pugnant cum candore & veritate*, qvæ sunt virtutes præcepti octavi, in qvo DEus vult omnem fraudem ac dolum â viro bono abesse.

II. Qvia *insidiari est opus Satanæ* Gen. III, 15. & Eph. VI, 11. ac reproborum, ut Ps. X, 8. Esth. XVI, 3. Prov. XXIII, 28. Ecclesiast. XI, 34. *Homo peccator sangvini insidiatur*. It. Jer. V, 26.

III. Qvia *insidiæ opponuntur pacificationi* & probitati, ut Gen. XLII, 31. Ibi enim filii Israël dicunt: *Pacifici sumus, nec ullas molimur insidias*.

IV. Qvia DEus gravem *ultionem* minatur iis, qvi occultè aliis insidiis ponunt Jer. IX, 8.

V. Qvia expressum extat *interdictum* Jerem. XIV. v. 15.

VI. *Pugnant insidiæ cum lege naturæ*: Qvod tibi non vis fieri, alteri ne facias. Sed non vis tibi ab hoste poni insidias. E. nec tu vicissim hosti eas ponas.

VII. Qvia *insidiæ ponuntur in occulto* & in tenebris, qvibus delectatur Satanas cum suis organis Job. XXIV, 15. Joh. III, 20. Prov. I, 17. Rete *ante oculos frustrà* jacitur.

## *Contrà.*

*Affirmativæ sententiæ* qvam hîc amplectimur, argumenta sunt:

I. Sumtum *à mandatô DEI* expresso, qvod extat in hoc textu v. 2. *Pone insidias urbi post eam*. Sic Jer. LI, 12. *Constituite*, inqvit, *custodes, præparate insidias, qvia cogitavit Dominus, facietqve, qvæcunq; locutus contra habitatores Babylonis*.

II. Su-

II. Sumitur *ab exemplis laudatissimorum heroum* ac imperatorum Josuæ; Abrahami Gen. XIX, 13. Israëlitarum Jud. XX, 29. Jonathæ 2. Maccab. IX, 40. Saulis 1. Reg. XV, 5.

III. Sumitur *â proprio prudentis imperatoris*, qvem decet consilia sua de mediis potiundæ victoriæ hostibus occultare.

ἔκθεσις καὶ λύσις.

*Decisio hujus qvæstionis* pendet *â distinctione*. Insidiæ nõ sunt unius ejusdemq; generis, sed distingvuntur *trifariam* 1. *ab objecto*. *Aliæ insidiæ struuntur viris probis* & innocuis, item amicis, sive etiam privatis hostibus: atq; tales virum bonum ac Christianum non decent. Prohibet enim DEus proximo facere malum Ps. XIV, 3. Prohibet etiam, ne alter alterum decipiat. Lev. XIX, 11. *Aliæ insidiæ struuntur hostibus publicis*, & qvidem justè ac impunè, qvandoqvidem non differt publicos hostes armis aut insidiis supprimere.

*Secunda distinctio* sumitur *â subjecto*? â rebus, qvæ insidiis expositæ sunt. Sunt autem in duplici differentia: aliæ ἀσυνάλλακτοι i. e. *ab omni pactione & fœdere literæ*: aliæ sunt συνάλλακτοι, *de qvibus cum hostibus inita est pactio* seu conventio. Jam in pactionibus legitimis nullus datur locus insidiis, at extra eas licet hostem per insidias adoriri.

*Tertia sumitur â causa belli impulsiva*, qvæ vel est justa vel injusta; Si justa est, licet insidiari: Nam justitia defendenda est clam & apertè: Sin verò injusta est, non tantùm non licet insidiari, sed etiam ne aperto qvidem Marte congredi.

Ex his velutì fundamentis liqvidò patet responsio ad objecta argumenta:

Objectio I. loqvitur *de iis insidiis, qvibus violantur pacta*, tales enim pugnant cum candore & veritate: Nam vult DEus, datam fidem etiam hostibus servari, qvod si non sit, justitia violatur.

Seqventia argumenta usq; ad sextum agunt *de insidiis, qvæ struuntur justis* ac probis, qvin etiam privatis hostibus. Manifestum hoc est ex dictis scripturæ, si integra recitentur, Jer. IX, 8. *In ore suo pacem cum amico suo loqvitur, & occultè ponit ei* (amico) *insidias* Prov. XIII, 15. *Ne insidieris impie domui JUSTI.* Similiter si etiam inimicis privatis benefaciendum est, non licèt insidiosas inire rationes qvibus ipsis incommoda inferamus. At nos hîc de insidiis bellicis disputamus, qvibus hostium publicorum robur ac potentiam infringere qveamus sine legitimarum pactionum violatione.

Resp. ad sextum: Lex illa naturæ ἁπλῶς & *sine restrictione* intellecta non est vera: Exempli gratia: Nolo ego mea vitia ab alio taxari: E. nec mihi licet alterius vitia taxare: Absit. Ergò intelligi debet lex illa communis, non de omnibus simpliciter, qvæ fiunt, sed qvæ justè rectèq; fiunt. Jam ex præscripto juris naturalis, si causam belli justam habes, non vis tibi strui insidias ab alio. Ergò nec tu alii justam belli causam habenti insidias struere debes. Contra qvam sententiam nos minimè pugnamus. Qværitur enim, an liceat insidiis uti adversus hostes præter causam nos oppugnantes.

Dó-

Dominus *Brentius* ad hanc objectionem ita respondet: *Alia est vocatio generalis, juxta qvam exigitur, ut neminem fallamus, sicut dicitur: Omnia, qvæcunqve vultis, ut faciant vobis homines, vos facite. Secundum hanc vocationem non licet nec occidere nec furari, nec alia id genus Decalogi præcepta violare. Alia est specialis, videlicet si DEus peculiari verbo mandaverit, hostem occidere, hostem fallere, hostem prædari, sicut Exod. XI. & XII. spoliantur Ægyptii. Habet tamen hæc vocatio suos certos fines. Non enim licet hostem ita fallere, ut violes juramentum & profanes nomen Domini. Qvare imposturæ mercatorum sunt damnandæ, qvia non fiunt singulari vocatione DEI, sed potius prohibentur.* Hactenus Brentius super hunc locum.

Septimi argumenti ratio est particularis: Non enim, qvod in occulto & tenebris fit, est opus Satanæ, sed id saltem, qvod fit ex odio lucis & amore tenebrarum: cujusmodi est id, qvod cum lege divina pugnat, qvæ nobis qvasi faciem præbet ad rectè agendum. Ideo Jobus satis cautè loqvitur in hunc modum cap. XIV, 15. *Oculus adulteri observat crepusculum.* Joh. III, 20. *Omnis, qvi male agit, odit lucem.* Tandem concludo cum *Augustino* lib. 6. qvæstionum super Josuam qvæst. 10. ubi inqvit: *Cum homo justum bellum susceperit utrum aperta pugna, utrum insidiis vincat, nihil ad justitiam interest.* Et qvæst. 11. *Restat ut secundum aliqvam significationem hoc qvod de insidiis factum est, ad veritatem referatur.*

QVÆ-

## QVÆSTIO II.

## *An urbem ilicò post invasionem incenderint insidiæ?*

### *Negatur.*

I. Ratio: Si ilicò incenderunt urbem post irruptionem, seqvitur, qvod non abstulerint opima spolia.

Sed conseqvens est falsum, ut apparet ex v. 27.

E. & antecedens.

II. Argumentum ex v. 24. Urbs fuit succensa demum â Josua post internecionem omnium habitatorum urbis.

E. non ilicò post primam irruptionem.

### *Affirmatur.*

I. Contra, qvòd post irruptionem urbs ab insidiis accensa fuerit, testantur hæc verba mandati v. 8. *Cum ceperitis, succendite eam*; & verba facti v. 19. *Ceperunt & succenderunt eam.* Ubi immediatè conjunguntur urbis occupatio & incensio.

II. Vidit Josue & Israël fumum flagrantis oppidi, ante civium internecionem v. 21. Ergò â prima occupatione facta fuit incensio.

Λύσις.

Ne videatur textus contraria & pugnantia jungere, distingvendum est *inter incensionem urbis particularem & totalem.* Nam qvamprimum milites ex insidiis irruperent, mox nonnullarum urbis partium incendia fecerunt, significaturi fratribus foràs pugnanti-

tibus occupationem: At cum non continua incendia, ultrò extincta sunt, donec pòst trucidatis civibus omnibus spoliisq; convasatis, Josue totam urbem plenis flammis everteret. Subscribunt huic nostræ sententiæ potiores *Interpretes*, qvi ad Qv. *Qvomodo succensa Hai?* respondere solent: *Ita succensam intellige, ut tamen non totam Urbem incendium pervaserit, sed eam duntaxat partem, qvæ ad Septentrionem vergebat, ut incendium tum à Josuà & Israëlitis, tum ab Haiensibus, qvi urbe eruperant, cerni posset, qvo & illis animus, & his desperatio ob interceptam urbem injiceretur. Neq; enim posse intelligi hìc totam urbem incendio fuisse succensam, vel ex eo patet, tùm qvod v. 28. dicatur rursum Josue urbem succensisse, tum qvod Urbis istius spolia inter se distribuere debebant Israëlitæ, uti v. 2. à Deo constitutum fuerat, & reipsa v. 27. distribuisse, referuntur: qvæ tamen spolia colligi non poterant, si interea, dum prælium committitur, succensa urbs penitus fuisset, maximè erumpentibus denuò ex urbe in hostes iis, qvi urbem interceperant.* Vide *Abulensem, Serarium, Masium, Drusium.* Notamus insuper, duo in Hebræo Textu esse verba: וַיַּצִּיתוּ, (à Rad. יָצַת) *& incenderunt*, v. 19. at v. 28. וַיִּשְׂרֹף (à שָׂרַף) *& combussit*, qvorum posterius plus sanè dicit, qvam prius: nimirum totalem urbis per ignem deletionem.

## QVÆSTIO III.

## Qvas partes Josua 30000. viris imposuerit.

1. Qvidam dicunt triginta mille viros remansisse in insidiis: ad qvinq; mille rediisse ad juvandum Josuam.

Hoc autem verum non videtur, qvia expresse jubet Josua in textu 30000. surgere civibus ingressis, urbemq; devastari & succendere v. 7. c. 8.

2. Alii dicunt 30000. viros fuisse divisos in 2. cohortes: & unam, qvæ fuit 5000. mansisse intra urbem alteram, qvæ fuit 25000. ex urbe erupisse ad perseqvendos â tergo cives.

Verùm v. 22. dicuntur ii, qvi ceperant & succendant civitatem, ex urbe exiisse: sed eorum fuerunt non 25000. sed 30000. Ergò nulli manserunt intra urbem. Deinde nihil hoc ad qvæstionem, non enim qværitur, qvot ex urbe viri eruperint: sed qvot in insidiis inter Bethel & Hai latitârint.

3. Tandem sentimus cum iis, qvi & ipsi 30000. in duo insidiarum agmina dispescunt, qvæ qvidem utraqve versus occidentem in eodem loco post urbem manserunt: Verùm cum reliqvus exercitus per septentrionalem plagam ab oriente aciem ita diffundet, ut ejus novissimi versus occidentalem insidias attingerent v. 13. Fieri potuit, ut 25000. viri adjungerent se reliqvo exercitui, Josuamq; extra urbem â fronte hostium adjuvarent: Cœteri autem 5000. urbem caperent & succenderent.

LO-

Landesbibliothek Oldenburg

# LOCI COMMUNES Theologici.

## I.

## De vocationis impedimentis & incitamentis.

*Opèra vocationis nostræ nulla re plus impediuntur, qvàm timore ac formidine.* Hæc Josuæ suoq; exercitui arma veluti manibus excutiunt, ut ob cladem acceptam, satius esse putent bellis supersedere, qvam in majora vitæ pericula se conjicere. Hoc est, qvod in omnibus vitæ actionibus torporem & somnolentiam inducit? Sed huic impedimento opponi debet *DEI mandatum ac promissio*, qvibus omnis timor ac trepidatio cordis ejicitur. Ut cum Josue audit se ad prælia divino mandato denuò excitari addita certa prædæ ac victoriæ promissione, manè ocyus surgit, mittens ac instruens exercitum ac procurans omnia, qvæ ad circumveniendos & opprimendos hostes spectare videbantur. Eodem modo erigendi ac præmuniendi sunt animi contra omnem dubitationem ac tremorem, ut recto qvasi vultu voluntatem DEI intueamur. Utut est, hoc vult tua vocatio; Hoc svadet divina promissio. Ergò per varios casus, per tot discrimina rerum strenuus pergam, divinæ providentiæ eventum insolidum committens, *ipse faciet.* Ps. XXVI. & LI. Qvod de vocatione diximus id ad alia qvoqve consimilia obstacula accommodari debet, qvæ non nisi promissionis verbo vincuntur & avertuntur. In fame constitutus metuis, ne cibi defectu pereas: sed ob firma timi-

dum animum promissionibus divinis. Ps. XXXII, 19. *Oculi Domini super metuentes eum, ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame,* & XXXIII, 10. *Non est inopia timentibus eum.* Sic qvi periculoso aliqvo morbo conflictatur, mordicus teneat verbum vitæ Joh. VIII, 51. *Amen Amen dico vobis, si qvis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Et Joh. V, 24. Item Joh. XI, 25. Ecce qvomodo promissio DEI omni timori & formidini mederi possit.

II.

## *De causa eventuum secundorum.*

*Eventus secundi non pendent à sudore nostro, sed à veritate divinæ promissionis & efficaciæ benedictionis.* Nam Josue non jacet resupinus in castris svavem somnum dormiens, sed cum labore magno ac multo disponit exercitus suis sedibus, ipse noctu in medio populi excubias agit; Summo manè surgit recenset socios, seniores producit: tamen ejus industria, vigiliis ac laboribus adeò nihil vendicari vult DEus, ut ipse solus victoriæ gloriam suo jure captet, cum inqvit v. 1. *Ecce tradidi in manu tua regem.* Nihil igitur nostris viribus tribuamus, sed omnem laborum profectum & eventum Deo acceptum referamus, tàm in vocatione Ecclesiastica, 1. Cor. III, 7. qvàm in politica juxta Ps. CXXVI, 1.

III.

## *De sedulitatis ac laborum remuneratione.*

La-

Labores divinæ voluntati ac demandatæ vocationi congruentes solet DEus remunerator ille benignissimus amplissimis præmiis ex gratuita munificentia compensare. Exemplo nobis est liberalis prædæ distributio ac concessio, de qva versu 2. In superiori expugnatione Hierichuntica jussit DEus omnem prædam partim comburere, partim ad sacros usus reservare, neqve immeritò. Tunc enim ipse solus sine humana ope occultâ tubarum resonantium voce muros demolitus fuerat. Jam verò in expugnatione Hai adeò non aversatur, aut excludit DEus labores hominum militares, ut etiam post victoriam militiâ strenuè perfunctis prædam ac animantia omnia diripienda concedat. Fuerunt hæc obedientiæ ac pietatis insignia præmia, de qvibus *Paulus* 1. Tim. IV, 8. *Pietas ad omnia utilis est &c.* Ut autem hic Josue cum suo exercitu nullam causam habet jactandi merita sua, perinde ac si labores sui tanti momenti sint, ut propter eorum dignitatem DEus compensationem ipsi debeat, qvi nullam ei reliqvit talis confidentiæ causam, cum dixit: *Tradidi tibi in manu tua regem*: Sic omnium operum nostrorum remuneratio prorsus est gratuita & ἄνιδος sive *indebita*, nullam habens cum labore proportionem. Atqve hæc causa est, qvod Dominus ille vineæ operariis mercedem tribuit, non pro inæqvalitate temporis laboribus insumti, sed pro suo beneplacito, non servata *proportione Geometrica, sed Arithmetica*, dans qvantum vult de suo non ex merito, sed ex bonitate Matth. XX, 14. Nullus igitur jactet sua merita coram Domino, qvin

imò *cum omnia fecerimus, qvæ demandata fuerant, dicamus, servi sumus* ἀχρεῖοι, i. e. inutiles. Luc. XVII. v. 10.

# LOCI POLITICI.

## I.

## *De virtutibus boni Imperatoris præsertim ducis militaris, cujus egregium exemplum extat in Josua.*

I.

Virtus *est pietas & obedientia* erga DEum. Nihil enim Josue prius & antiqvius habet, qvàm ut in omnibus mandatis DEo se morigerum & obseqviosum præbeat.

II.

Est *prudentia*, cujus specimen edit Josue omnes occasiones captando, commoditatem loci ac temporis diligenter considerando, certum exercitus numerum eligendo, sua consilia hosti occultando. Talis est virtus prudentia militaris acrem mentis aciem intendens in omnes partes, solicitè inqvirens media ad opprimendos hostes idonea.

III.

Virtus *est* ἀγρυπνία *sive vigilantia*: Ut Josue manè surgit, noctu in medio populi ambulat, & excubias agit v. 13. Sic victoria non paratur qviete ac somno in molli lecto, sed vigiliis constat multis & difficultatibus arduis, â qvibus qvi abhorret, is ad castra non secus ac asinus ad lyram idoneus est.

IV. Est

IV.

Est αὐτοπαρεσία, *ut ipse dux exercitui sit præsens*: Sicuti Josue præcedit populum & noctu in medio ambulat. Nam in præsentiâ ducis magna fixa est spes victoriæ. *Gabrias Atheniensis* dicere solebat, *formidabiliorem esse cervorum exercitum duce Leone, qvàm leonum cervô duce.*

II.

## *De stipendiis militum.*

Qvod DEus post victoriam partam exercitui prædam diripiendam concedit, eo pacto sancit & confirmat dictum Pauli 1. Cor. IX, 7. *Qvis militat suis stipendiis unqvam?* Vult igitur militibus pro exantlatis vitæ periculis honesta stipendia conferri? Postulat hoc ipsa æqvitas: exigit gratitudo, ut proemia reportent, qvi sangvinem pro salute patriâ & religionis defensione non dubitabant profundere. Sunto autem vicissim *milites suis stipendiis contenti*, ne qvid ultrà appetant, multò minus ex rapinis ac latrociniis victum qværant: Nam tales DEI vindictam non effugient, cùm scriptum sit Habac. II, 8. *qvia tu spoliâsti, spoliabunt te omnes.*

III.

# *LOCUS POLITICUS.*

## *De insidiis.*

Si aperto Marte potentia hostis conqveri neqvit, *uti licet insidiis*, DEo non tantum permittente, sed etiam jubente, atqve tunc, ut *Poëta* canit, *Nil refert, armis*

*mis contingat palma dolisve.* Sunt enim insidiæ ille nihil aliud, qvàm occultatio consiliorum & deliberationum bellicarum; At qvi hostem suà celat consilia, rectè & prudenter facit: Ergò & qvi insidiis. *Qvomodò verò insidiæ struendæ sint*, docet *Josuæ exemplum.* 1. Ex optimis militibus eligatur numerus tantus, qvantus sufficere possit ad ferendas contra hostem suppetias. 2. Loca insidiarum occupeutur noctu, ut res eò melius occultari possit. 3. Insidiæ non sint longius ab hoste positæ, ne illis justo diutius absentibus, reliqvus exercitus interea vincatur. 4. Omnes stent parati, ut dato signo sine omni cunctatione sociis suis adjuvandum advolare possint. 5. Ubi ex latebris suis eruperunt, non festinent ilicò ad spoliandas ædes, sed in jecto igne aut aliis mediis conspicua victoriæ signa ostendant hosti, qvibus ipse perterritus se in fugam convertat.

## IV.

## *De censura & inspectione militum.*

Dicitur Josue manè surrexisse ac recensuisse socios, sive *visitâsse*, ut Hebr. textus habet. Nam significatio verbi פָּקַד satius diffunditur arguens *diligentem inspectionem ac inqvisitionem*: qvemadmodum Josue admodum sollicitus erat de militum numero, ordine & aliis circumstantiis. Nec contentus est dux ille unâ censurâ, qvod heri 30000. virorum elegit. Sed hodie socios de integro recenset: qva industria militiæ studiosos docet, inspectionem & visitationem militum freqventem esse summè necessariam. 1. enim exploratores hostium clam se insinuare possint & consilia omnia

omnia scrutari. 2. Qvia multitudo militum nihil prodest, nisi in ordinem redigantur. 3. Ut singuli â suis ducibus, si fieri possit, vel nomine tenus agnoscantur: Ita enim facilior erit gubernationis ratio. De *Cyro* legitur, qvòd omnibus in exercitu suo militibus nomina reddiderit. *Themistocles* omnium civium nomina perceperat, ait *Cato* ap. Cicer. de senectute. *Appius Claudius* jactabat, se omnes Romanos memoriter nominatimq; salutare posse. 4. Admonet etiam crebra inspectio milites sui officii, eosqve â securitate & somnolentia deterret.

## *Explicatio Textus.*

*v. 14. Qvod cum vidisset rex Hai)* Seqvitur ἀνλπραξις regis Hai, qvi sanè nihil intermittit, qvod sibi videtur ad repellendum hostem aliqvid momenti habere. Manè è lecto se corripit, educit omnem vim civium, instruit aciem, illi vociferando ad perseqvendum hostem se incendunt. Duo autem interveniunt ἐμπόδια, seu obstacula victoriæ. Unum est ignorantia insidiarum ab Israëlitis in valle occidentali positarum: Alterum est ignorantia simulatæ fugæ, qvam putabat esse seriam v. 15. Inde fit, ut qvibus se mediis hosti restiturum confidit; ipse in extrema vitæ pericula se suosq; agat præcipites.

*v. 17. Ne unus qvidem in urbe Hai & Bethel remansisset)* Apparet ex his verbis cives Bethelanos suppetias Hainis tulisse aut ferre voluisse adversus Israël. Sunt qvi putant, ipsos in-

insidias maturè intellexisse atq; ideo intra muros se fugiendo recepisse. Horum sententia non videtur â veritate aliena propter qvod Jud. I. 25. ista urbs *Bethel* sive *Luza*, legitur esse demum eversa.

*v. 18. Leva clypeum*) Audimus jam σύμαρξιν insidiarum, qvomodo his succurrentibus, Josue felicem stragem, DEO bellum fortunante ediderit. Describitur autem 1. *signum faciendæ eruptionis*, qvod fuit lancea sive hasta ad jussum DEI extensa v. 19. 2. *Signum captæ urbis*, qvod erat fumus de urbis incendio ascendens. v. 20. 3. ἀφορμὴ *occasio sive commoditas* feriendi hostem, qvi erit jam â fronte & tergo veluti in muscipula conclusus, hinc flammis, illinc flammis & armis urgebatur v. 21. & 22. 4. *Ordo* rerum gestarum 1) cædunt cives Hainos. 2) capiunt regem. v. 23. 3) civitatem gladio perseqvuntur v. 24. 4) prædam distribuunt v. 27. 5) Succedunt urbem eamqve solo æqvant. v. 28. 6) regem suspendunt ejusq; cadaver lapidibus obruunt, v. 29.

Qværitur h. in I. *an signum datam fuerit clypeus, aut vexillum vel hasta.* Clypeus non videtur fuisse, qvi non potuisset ita extolli, ut ab insidiis conspiceretur; Nec videtur fuisse hasta qvæ propter exilitatem (nam qvo qvid minorem efficit comum in oculo, eò minus videtur) è longinqvo insidiantium oculus effugisset: Fortasse nec fuit vexillum, id enim duces gestare non consveverunt? Resp. In Hebræa lingva signum faciendæ eruptionis appellatur כִּידוֹן, qvæ modo significat *hastam*, modò *galeam*: Græci ϑαισὸν: Unde mihi non videntur errare illi, qvi ex utroqve unum confi-

ci-

ciunt signum, statuentes Josuam erexisse galeam de hasta suspensam.

*v.20. Videntes fumum ad cœlum ascendere)* *Hyperbolica* est locutio: plus enim dicitur, qvàm intelligitur: & significatur fumi in aërem dissipatio.

*v. 28. Fecit eam tumulum sempiternum)* Hæc erat pœna civitatum idololatriæ deditarum, vide Devt. XIII, 16. Qvod autem distributio prædæ dicitur facta esse, sicut præceperat Dominus Josue: id duplici de causa fit. 1. *Propter exemplum Jericho*, unde nullam licuerat exportare prædam. Deinde qvia DEus id prohibuerat Devt. XVI, 16. nec tamen in his mandatis ulla est contradictio, qvia mandatum speciale derogat generali.

*v.29. Regem suspendit in patibulo)* Duo hîc notentur: 1. *pœnæ genus*. 2. *pœnæ mitigatio*. Genus pœnæ qvod attinet, graviore supplicio afficitur iste rex, qvàm Jerichunticus. Hic enim eandem cum suis subditis necem sustinuit, ideò procul dubio, qvia se minus Israëlitis opposuerat. Contra Rex Hai secunda jam vice Israëlem in fugam convertere laborabat. Ergò graviorem pœnam experitur. Deinde mitigatio pœnæ est hæc, qvod cadaver de cruce deponitur, ut satisfiat legi divinæ Devt. XXI, 23. *Non pernoctabit cadaver in ligno, sed in eodem die sepelietur*: Additur ratio â fine, & neqvaqvam contaminabis

terram tuam, qvia maledictio DEI est pendens in ligno.

# LOCI POLITICI.

## I.

## *De spe resipiscantium optima.*

Resipiscentibus & piè viventibus, nunqvam causa deest optimam spem fovendi, firmiterq; tenendi: habent enim illi semper divinam gratiam in promtu, qvæ non *dat in æternum fluctuationem justo.* Ps. LIV, 23. Exempli gratia: In præcedenti capite nimium fluctuabat Josue metu ac dubitatione, putans inposterum actum fore de salute Israëlis: sed post tristem acceptæ cladis nubeculam, matutina lux victoria ei vicissim oboritur, & castra opimis spoliis locupletat. Qvare sævientibus adversæ fortunæ procellis, non abjiciendus est animus, nec efferendus nimium, cùm res nostræ placido mari, secundis conspirantium ventorum flatibus impulsæ feruntur, sed intra veræ pœnitentiæ & pietatis septa nos contineamus: & licet DEus videatur qvasi in utramq; aurem dormire, nobis frustra pro carnalis judicii more petentibus ac gementibus: tamen expergiscetur, periclitantibus opportuno tempore optatum ferens auxilium.

## II.

## *De fugienda in rebus prosperis fiducia.*

Absit â piis mentibus, ut rebus secundis confidant. Peperit enim ea confidentia Hainis extremum exitium, qvi ex superiore pugna adversus Israëlem feliciter

ter gesta, errore mentis crasso, certam sibi ex secundo prælio victoriæ spem promittebant. Anceps sanè est fortuna belli, unde *Mars* dictus est Græcis *ab inconstantia & mutabilitate* ἀλλοπρόσωπος Iliad. 5. *i. e. qvi modò huic, modò illæ parti soleat adhærere. Victoria* verò vocatur ἑτεραλκὴς i. e. *ambigui roboris*, id est, tribuens alterutri parti ἀλκὴν seu robur. Nam ut *Homerus* canit. Iliad. 6. v. 140. Νίκη ἐπαμύφεται ἄνδρας i. e. *victoria vices agit vires.* Sic *Thucydides* ait: ἥκιστα ὁ πόλεμος ἐπὶ ῥηποῖς προχωρεῖ *i. e. minimè bellum juxta deliberata succedit. Exemplum* bellicæ hujus fortunæ proponitur in hoc textu, ubi primò Hainæ vincunt, Israëlitæ fugiunt: Jam vincunt hi, cœduntur illi. Exempla plura suppeditat experientia. Judæi in nonnullis conflictibus feliciter pugnabant, scriptore Josepho, sed eo successu inflati tandem vincuntur â Romanis & truculento modo mactantur. Sic pristina prosperitas erat occasio seqventis cladis & veluti hamus, qvo insolens populus caperetur: DEus enim multas gentes per lætas victorias ad triumphos tandem prosternere consvevit. *Causa* autem *tantæ varietatis* ac inconstantiæ in expeditionibus bellicis non est largienda cœcæ furtunæ, sed asscribenda DEO. Nam bellorum eventus nec â fortuito casu, nec ab hominum consiliis pendent, sed DEI voluntate & arbitrio diriguntur. Id qvod *Ethnicus Poëta* cœteris prudentior pro sua religione, & agnovit in hisce versibus. Iliad. 16.

Ἀλλ' αἰεὶ δυὸς κρείαστον νόος ἠέπερ ἀνδρῶν
Ὅστε καὶ ἄλκιμον ἄνδρα φοβεῖ καὶ ἀφείλετο νίκην

ῥηιδίως &c. i. e. *At semper mens Jovis melior est qvam hominum, qvi & terret robustum virum & aufert victoriam facilè.*

Sed *David* longè religiosius canit Ps. XLV, 9. *Venite & videte opera Domini, qvas fecerit vastationes super terram auferens bella usq; ad finem.* Et Ps. CXVII, 16. *Dextera Domini fecit virtutem.*

Nemo igitur confidere debet rebus benè eventibus, aut propterea efferri: nam qvi eo animo sunt, ab iis prope solet abesse pœna. Prudenter admodum dixit Cyrus: *Habui successus magnos, sed semper imperavi mihi, ne fierem insolens.* Vide Xenophont. in Pædia Cyri. Deinde si hoc ita est, facienda sunt omnia bellorum primordia cum invocatione divini Numinis ad Exemplum Asæ contra Æthyopes pugnaturi, qvi ita orat: *Adjuva nos Domine Deus noster: In te enim & in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem* 2. Par. XIV, 11.

## III.

## *De natura veræ fidei.*

Ad tàm præclaram & mirabilem victoriam adhibet Josue nullum medium, nisi lanceam seu clypeum divino mandato adversus urbem Hai erectum. Perqvam vide putari potuit hoc medium. Ac potuisset Josue prætendere: sanè hostes non concidunt ex intuitu hastæ, sed ex fixu: sed intuetur Josue non tàm hastam, qvàm verbum, qvô omnem dubitationem animo ejicit, laudem veritatis ac potentiæ Deo tribuens. Apparet autem ex hoc signo, sicut & ex baculo Mosis, immen-

mensa DEI majestas ac potentia, dum per erectam hastam eandem vim exerit, qvam alibi per fulmina ac tonitrua 2. Reg. XXII, 15. & 2. Macc. X, 30. Nos cavere debemus omni studio, ne peccatis nostris Domino hastam, aut alia immensæ suæ iræ organa adversum nos erigendi causam præbeamus, ac cum miseris Haitis, miserè pereamus.

## IV.

## *De spirituali pugnâ.*

*Josua* est in hac expugnatione & militia illustris *typus Christi.* Ut enim hîc hostes suos insidiis & armis sub vexillo erectæ lanceæ, simulatæ fugæ prætextu vincit, urbem devastatur, spolia aufert, regem qvoq; tandem è medio tollit: Ita Christus in suo, qvod cum diabolis susceperit prælio, insignis potentiæ & sapientiæ argumenta ostendit. Primò omnium hosti sua consilia celat & servilis formæ tegumento involvit: tempore passionis deindè lacrymando, lamentando & moriendo simulat fugam, hinc diabolus spem sibi victoriæ certam promittit, sed fugiendo vincit Christus, *destruens morte sua mortis tyrannidem ac imperium.* 2. Tim. I, 10. Hebr. IV, 14. Postea è sepulcro velut è fuga reversus per lætissimam resurrectionem præclara victoriæ signa ostendit, carceres infernales infringens & *spolians ejus principatus & potestates.* Col. II. *Spolia* qvæ ad nos ex hoc triumpho redundant, sunt justitia vita & salus. Rom. II. & VI. Col. II, 12. 2. Tim. I, 10. Apoc. XII, 10. *Vexillum* ejus fuit lignum crucis, cui affixit Chirographum nobis contrarium. Col. II, 14. Hoc instar Josuanæ hastæ in sublime erexit,

xit, ut omnes vera fide id intuentes hostium suorum victores ac triumphatores evadere possent. Qvin imò ut Josue lanceam tàm diu erectam tenet, donec universa hostium potentia contrita & prostrata sit: ita nunqvam cessat Christus salutiferæ crucis suæ vexillum qvotidiè per verbum & Sacramenta erigere, donec tandem omnibus inimicis sub pedum nostrorum scabella redactis, omnium bellorum finis factus. Benè itaq; speremus: nam stante hoc vexillo, neqvicqvam formidabimus hostiles minas.

# LOCI POLITICI.

## I.

## *De præsidiis urbium.*

Rex Hainus cognita Israëlitarum expeditione, educit ex urbe omnes cives in apertum campum, ita ut ne unus qvidem domi maneat: stultum sanè & incautum factum. Hoc enim pacto denudat urbem omnibus præsidiis, ut ab insidiis Israëliticis eam facilè capi & occupari necessum sit. Utile igitur est, ut cùm occasio alicujus oppidi civibus offertur, aperto Marte cum hoste extra mœnia congrediendi, certus numerus militum domi resideat, qvi fortuitis & insperatis irruptionibus se fortiter opponere possint.

## II.

## *De securitate & præsumtione.*

Bonæ Reipub. & salutis communis 2. sunt primariæ pestes, securitas & præsumtio. Securitatis in Haitis indicium est, qvòd omnes urbem deserunt, nullam irru-

irruptionem insidiarum metuentes: præsumtionem vero arguit hoc, qvod & ante victoriam falsâ persvasione adducti sibi triumphare videntur, ac propterea cum multis vociferationibus portis suis erumpunt, perinde ac si præconcepta victoriæ spes eos fallere non possit. Hæc multas gentes perdiderunt, dum vel suis rebus malè consulerent ac providerent, vel præter divini Numinis voluntatem victoriam sibi temerè promitterent.

III.

## *De fuga simulata.*

Plurimum sæpè facit ad victoriam moderata & cum consiliô suscepta fuga. Per hanc enim veluti inescando provocat Josue Haitas ex præsidio urbis in apertum campum, ubi postea omnes gladio miserè percutit. Præstat enim hosti ingruenti cedere, qvam cum evidenti jactura eidem pertinaciter resistere. Unde *Antigonus* dixit, cum hostium furori ultrò cederet: *se non fugere, sed utilitatem retrò sitam perseqvi.* At fuga ex timiditate & mero terrore profecta non decet virum fortem, qvem mori præstat qvàm fugere. Sic enim *Ulysses* ait Iliad. λ. v. 104. s. μέγα μὲν κακὸν αἴκε φέβωμαι πληθὺν ταρβήσας *i. e. magnum sanè malum est, si timeo multitudinem timens.* Et Iliad. 15.

φευγόντων οὔτ' ἄρ' κλέος ὄρνυται οὔτε τις ἄλκη.

i. e. *Fugientium nec gloria paratur nec aliqva fortitudo.*

## IV.

### *De superiorum & potentiorum pœnis.*

In regem Hai statuitur gravius supplicium, qvâm in ejus subditos. Is enim primùm vivus capitur, & est αὐτόπτης universalis incendii & excidii urbis Hai, qvo periere 12000. hominum, qvibus interfuit regia familia verissime: postea suspenditur de ligno: Verùm reliqvi uno impetu ac tumultu trucidantur. Hoc exemplo comprobatur, qvod liber sapientiæ habet c. VI, 7. *Potentes potenter tormenta portabunt* & v. 9. *Fortioribus fortior instat eruciatio.* Ut enim regum iniqvitates causæ sunt publicarum calamitatum, juxta illud:

*Qvicqvid delirant reges, plectuntur Achivi.*

Ita justum qvoqve est, eos præ aliis graviores pœnas luere.

## V.

### *De moderato victoriæ usu.*

Eximiæ artis est, *victoriâ moderate* uti: qvâ laude noster Josue præcellit maximè. Non enim insolenter illudit cadaver regis suspensum: sed de ligno jubet demere ad Solis occasum, & congesto ex lapidibus tumulo sepelire. Rara hæc est virtus, de qva *Hermocrates ad Syracusanos* dixit: *Non minoris virtutis esse arbitror partâ victoriâ benè uti, qvàm vincere.* Et *Cicero* lib. 4. Rhetoric: *Viri fortis est*, inqvit, *qvi de victoria contendant, eos hostes putare: qvi victi sunt, eos homines judicare.* Sermo hic est homine dignus.

Qvis

Qvis non laudet *Julii Cæsaris* humanitatem, qvi *Pompeji* hostis sui allatum caput cum multis lacrymis aspexit, divinans procul dubio, se qvoqve olim mortem miserandam perpessurum esse. Contrà barbara fuit & homine indigna consvetudo apud veteres, qvod interemtis ducibus multa vulnera infligerent, sicuti de *Hectore* occiso, in qvem omnes Græcostela sua conjecisse *Homerus* notat, *Virgil.* 2. Æn. canit: *Vulneraq; ille gerens, qvæ circum plurima muros, Accepit patrios.* Multò verò immanior fuit Herodias, qvæ decollati Johannis Bapt. caput furiosa ulciscendi libidine ardens acubus acutis compunxisse legitur.

## *Explicatio Textus.*

## *Analysis Logica.*

v. 30. *Tunc ædificavit &c:)* Hæc est *secunda pars capitis* 8. de operibus Ecclesiasticis tribus, qvorum prius est οἰκοδόμησις sive *extructio altaris.* 2. Populi εὐλογία, sive *benedictio* v. 33. 3. ἀνάγνωσις seu *recitatio omnium legum* Mosis v. 34.

*Ædificationis causa* ποιητικὴ est Josue. 2. causa πρακτικὴ est Moses. 3. Causa ὑλικὴ sunt lapides ἀδόμητοι *i.e. rudes & non elaborati.* 4. Causa εἰδικὴ innuitur his verbis: *Sicut præceperat Moses.* 5. Causa τελικὴ duplex est 1. immolatio v. 33. 7. Decalogi inscriptio v. 33. Uterq; finis est intermedius, spectans ultimum, qvi est gloria DEI: Ideo dicitur Josue extruisse aram Domino i.e. partim ad ejus mandatum: partim ad ejus gloriam. v. 33. Exaggeratur multitudo eorum, qvi le-

gum recitationi operam diabant per μερισμὸν. 1. *ab ætate*. V. Textus: *Majores natu*. 2. ab *officio & dignitate*, v. textus: *Duces & judices*. 3. *à conditione*. V. Text. *advenæ* &c. *indigenæ*. 4. *à situ*: *Alii steterunt ex parte Garizin, alii ex parte Hebal*.

## *Analysis Rhetorica:*

Qvæ Josue recitat ex Mose, ea illustrantur 1. *ab adjuncto*, cum dicuntur verba benedictionis & maledictionis. 2. *subjecto* sive volumine legis, in qvo scripta extabant. 3. *ab ἀρνήσει negatione*, negando aliqvid omissum esse. 4. *παλιλογίᾳ seu repetitione auditorum*. v. 35.

## *Analysis Grammatica.*

*v. 30. Tunc*) Hæc vox ἐν πλάτει accipienda est, non eo sensu, ac si Josua ab excidio Haino immediatè se contulerit in montem Hebal; sed qvod ex Galgalis prius, ubi castra metabantur, reliqvum populum, qvi expeditioni urbis Hai non interfuerant, asciverit ad peragendos ritus sacros in monte Hebal.

*v. 31. De lapidibus impolitis*) Lapides isti dicuntur Hebræis שְׁלֵמוֹת Græcis ὁλόκληροι καὶ ἄτμητοι opponuntur lapidibus ferro sectis & elaboratis Exod. XX, 25. Jubet autem eos Moses Deut. XXVII, 4. calce incrustare atq; ita dealbare, ut inscriptæ Decalogi literæ lectu faciliores fierent, Exod. XX, 25. additur ratio, cur culter non sit adhibendus, nempe ne ara Domini pollueretur, aut contaminaretur.

Ho-

*Holocaustum*) *Duæ* nominantur hic *species sacrificiorum*: alia sunt *holocausta*: alia *pacificæ victimæ*. *Holocausta* Hebræis dicuntur עלות ab עָלָה *ascendit*, propterea qvod ex iis in totum combustis fumus sursum ascenderet. Erant autem *typus Christi*, qvi in ara Crucis præ vehementis amoris incendio pro genere humano ipse se lubens obtulit æterno patri in odorem svavitatis: sicut *Paulus* ad ritus illos sacrificiales alludens scribit Ephes. V, 2. *Victimæ pacificæ* seu pacificationis dicuntur שְׁלָמִים à שָׁלֵם, qvod non tantùm significat *pacem cum aliqvo inire*, sed etiam alicui, qvod suum est, *reddere & retribuere*, seu ἀνταποδιδόναι, ut LXX. vertunt Psal. VII, 5. Intelliguntur igitur sacrificia εὐχαριστικὰ, qvibus DEO pro mirandis liberationibus & aliis beneficiis debitam animi gratitudinem declarabant. Græci vocant σωτήρια, qvalia hîc Israëlitæ pro sua incolumitate & vita, qvam devictis hostibus tanqvam prædam reportârant, DEO tàm præclaræ victoriæ largitori exhibent, & gratis animis persolvunt. Includit autem mentio sacrificiorum pacificorum epulas, cum pia ac devota hilaritate post sacrificia celebratas. 1. Qvia hoc jusserat Moses Devt. XXVII, 7. *Immolabis hostias pacificas, comedesqve ibi & epulabis & gaudebis coram Domino DEO tuo.* 2. Qvia de his sacrificiis posterioris generis magna pars carnium redibat ad offerentes, unde lætabundi epularentur, Devt. XII, 12. & XVI, 11.

*v. 33. Media pars eorum juxta montem Garizin*) Divisa erat domus Israël

in duas æqvales partes, qvarum una medietas continebat sex tribus, Simeon, Levi, Juda, Isaschar, Joseph, Benjamin: & collocabatur juxta Garizin *ad benedicendum*: altera pars cum reliqvis tribubus sex stabat ad montem Hebal *ad maledicendum*, Devt. XXVII, 12. His ex utraqve parte admixti erant advenæ & indigenæ, qvemadmodum etiam cum iisdem in castris morabantur Devt. XXIX, 11. Sciendum autem est, qvod hîc unicus mons notetur sub duabus appellationibus, nam ob duo latera sive capita, planicie interjacente distincta, modò Garizin, modò Hebal appellatus est.

*Primùm qvidem benedixit populo*) Qvod ex Leviticis sacerdotibus qvispiam fecit, id Josuæ hoc in loco adscribitur, propterea qvod illud fieri unicè curaverit. Formulam solennis benedictionis Levitis præscriptam vide Num. VI, 24. Qvomodo legum recitatio ad Levitas pertinuerit, vide Devt. XXVII, 14.

*v. 35. In legis volumine*) *Volumen legis* non usurpatur hîc generaliter, pro 5. libris Moysis, ut aliàs creberrimè; sed specialiter, pro Devteronomio seu qvinto libro, in cujus cap. XXVII. mandatum Mosis de omnibus in monte Hebal peragendis continetur.

## QVÆSTIO I.

## *An altaria seu templa creaturis ædificare liceat?*

Resp.

Resp. NEGATIVE: NON LICET.

1. Ratio: Qvod fit in honorem DEI, id nulli creaturæ est vendicandum.

Ædificatio altarium & templorum fit in honorem DEI.

E. nulli creaturæ est vendicanda.

*Probatur* MAJOR, qvia DEus dicit Esa. XLII, 8. *Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo.*

*Probatur* MINOR: Qvia altaria & templa sunt organa exercendi divinos cultus: Unde altari deservire Paulo nihil aliud est, qvàm cultibus divinis administrandis incumbere 1. Cor. IX, 13.

II. Ratio *ab exemplo:* Nam Josue ædificat altare non Abrahamo, non Angelo primario, sed Domino DEo Israëli, e. in illius DEI gloriam, qvem Ecclesia Israëlitica colebat. Atq; hac de causa templa dicuntur domus DEI â fine cultus Joh. II, 17. Ps. LXVIII, 10. Esa. LVI, v. 7.

III. *ab autoritate Pauli*, qvi ut aram ignoto DEO consecratam, tanqvam idololatriæ gentilis nobilem partem, aversatur, ita dedicationis honorem non vult Angelis aut sanctis martyribus exhiberi, sed DEO rerum omnium opifici & conservatori Actor. XVII, v. 23.

*Contrà* PONTIFICII *extruunt altaria & templa etiam Martyribus & virginibus sacris*, prætendentes illud *Augustini* lib. 12. contra Faust. c. 21. *Populus Christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atq; orationibus adjuvetur: ita tamen,*

*ut*

*ut nulli martyrum, sed ipsi DEo martyrum sacrificemus, qvamvis in memorias martyrum constituamus altaria.* Sed respondeo: Sacra scriptura nullibi vult, altaria constitui in memorias creaturarum, sed in memoriam & laudem Jehovæ, desunt etiam exempla. Deinde *nulla est consequentia in verbis Augustini.* Martyres sunt imitandi. Item martyrum memoria est conserda. Ergò in memorias martyrum constituamus altaria. Qvia sunt alia media, qvibus conservari potest martyrum memoria, cujus est inprimis prædicatio & commendatio fidei, patientiæ, dilectionis, constantiæ & similium virtutum, qvarum laude fuerunt conspicui.

Tertiò, qvia cum illa altarium dedicatione conjungunt adversarii sanctorum invocationem, qvilibet videt, eos altaria non in martyrum memoriam, sed gloriam atq; cultum ædificâsse. Huc pertinet, qvod *Augustin.* dicit Tom. 10. *Ara est, qvæ testatur, pro numine id haberi, cui erigitur.* E. nulli creaturæ erigi debet.

## *QVÆSTIO II.*

## *An rectè fecerit Josue altare extra tabernaculum Domini ædificando?*

Resp. Videtur huic facto obstare expressa DEI prohibitio. Nam Devt. XII. 26. nullo in loco DEus vult sacra fieri, nisi super altare Domini eo in loco, qvem ipse elegerit. Et Lev. XVII. 5. jubet DEus sacrificia offerre ante ostium tabernaculi.

λύσις.

Λύσις.

Resp. I. Mandatum hoc *de sacrificiis in tabernaculo offerendis* obligabat Judæos non tempore militiæ & peregrinationis, sed tempore pacis & tranqvillæ possessionis in terra Canaan. Addit enim Moses Devt. XII. 9. neq; enim usqve in præsens tempus venistis ad reqviem & possessionem, qvam Dominus Deus vester daturus est vobis.

II. Excusat Josuæ factum hoc singulare DEI mandatum, cujus interpres Moses fuerat, ideoq; etiam hoc altare pro altari Domini merito censeri debet.

III. Potest & hoc responderi: Deum cum nonnullis sanctis dispensasse, eisq; singulari privilegio extra orbitam currere interdum permisisse, ut Samueli 1. Sam. X. 8. et Eliæ 1. Reg. XVIII. 31.

## *QVÆSTIO III.*

## *An Josue lapidibus altaris decem duntaxat præcepta inscripserit?*

Resp. I. Ita multi sentiunt.

II. Alii volunt, eum inscripsisse maledictiones illas, qvæ recensentur cap. 27. Devt.

III. Alii inscripta putant omnia præcepta legis tàm affirmativa, qvam negativa, qvorum numerare solent 613.

IV. Sed omnium commodissima videtur hæc sententia, qvod textus præsens loqvatur de legibus in qvinto libro à Mose explicatis, sive contineantur in Decalogo, sive non.

## RATIO

I. Nam qvod latina versio vocat *Devteronomion* legis, id Hebr. vocant משנה תורה *i. e. alteram legem*, qvam Moses scripsit in conspectu Israël. *Lutherus* vertit: Das ander Gesetz. Intelligimus autem per alteram legem secundum fœdus legis explicatione & declaratione (Devt. 1, 5.) cum Israëlitis pactum in Moab, & opponitur hoc priori fœderi in Horeb inito, de qvo vide Devt. XXIX, 1. Jam in ea explicatione præter 10. præcepta multa alia continebantur, qvorum observatio ad terræ promissæ possessionem dilata fuerat.

II. Id ipsum innuit qvoqve ὑφέρεσις vocis Devteronomii, cum Moses id dicitur digessisse v. 32. At digesserat seu conscripserat exemplar legis in qvinto libro.

III. Devter. XXVII, 8. jubet Moses scribere *omnia verba legis hujus*. Ubi pronomine Demonstratio (*HUJUS*) lectoris sensum ad eas leges deducit, de qvibus in Devteronomio seu qvinto libro agitur, qvæ non sunt sola 10. præcepta.

# LOCI COMMUNES Theologici.

## I.

## De gratitudine erga DEum.

Qvemadmodum Josue suprà cap. IV. & V. pro miraculosi transitus beneficio 12. lapides in Jordane erexit, & sacra celebravit: Ita nunc pro victoria ab Hainis

nis reportata extruit altare, immolat, leges præ legit, faciens omnia in gloriam DEI, optati tropæi autoris & largitoris. Hoc nos *exemplo docet pro omnibus beneficiis DEo gratias agendas esse tàm* factis, qvàm verbis, ita nos admonente *Paulo* Eph. V, 20. Col. IV. 1. Theff. V, 18. Postqvam enim lux N. T. Levitica tributoria antiqvavit, decet nos cum Hosea DEo *vitulos labiorum nostrorum reddere*, c. XIV, 3.

II.

## *De officio piorum magistratuum triplici.*

I. Licèt magistratus politicos non deceat publicum docendi munus in Ecclesia sustinere: tamen hoc ipsis curæ inprimis esto, ut per ordinarios verbi ministros sinceros DEi cultus instituant, institutos conservent ac promoveant, regiq; hoc facto portas aperientes Ps. XXIII, 7, 9. filiumq; osculantes Ps. II, 12.

II. Non permittant, concionem verbi oscitanter tractari, aut ab improbis & contumacibus, planè conculcari, sed compescant autoritate suâ subditos ut fideliter discant & audiant divina elogia, nobiles & ignobiles, duces & judices, adultos & juvenes, mares & fœminas, qvin etiam indigenas & advenas, ne, dum hi falsam doctrinam & religionem profitentur, inqvilinos prava doctrina inficiant. Qva de causa voluit Josue etiam advenas legum recitationi interesse.

III. Neqve tantum alios ad pietatis culturam acuant: sed ipsi qvoqve suis exemplis subditos alliciant: adjungant se sacerdotibus cum Israëliticis hisce ducibus & judicibus: intersint concionibus publicis, sacramenta crebrò usurpent. Nam in exemplis superiorum

rum mirifica qvædam vis est vulgi animum ad imitationem promovendi, juxta tritum illud: *Scilicet in vulgus manant exempla regentum.* Hoc est, ut *Plutarchus* scribit ad principem indoctum: ὑπηρετεῖν θεῷ πρὸς ἀνθρώπων ἐπιμέλειαν καὶ σωτηρίαν ὅπως ὧν θεὸς δίδωσιν ἀνθρώποις καλῶν καὶ ἀγαθῶν τὰ μὲν νέμωσι, τὰ δὲ φυλάττωσι, *i. e. inservire DEo ad hominũ curam & salutem, ut qvæ DEus hominibus bona ac dona dederit ea partim distribuant, partim custodiant.*

## III.

## *De Typis.*

*I. Altare à Josua erectum est typus Christi:*

1. Qvia nisi in ipso & per ipsum fides, gratiarum actio & invocatio DEo offerantur, grata esse haud possunt Hebr. XIII, 10. & 15.

2. Qvia in Christo oblatum fuit DEo semel verum illud holocaustum pro mundi peccatis. Hebr. X, 12.

3. Sicut omnia verba Mosis inscripta fuerunt lapidibus altaris: ita Christus est liber arcanæ sapientiæ & doctrinæ de voluntate DEI & salute nostra, qvam non aliunde, nisi ex ejus ore discimus & cognoscimus, utpote in qvo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt absconditi Col. II, 3.

II. Deinde *lapidibus perfectis* & nullo ferro tactis duo significantur: *Unum est servilis forma*, qvam Christus assumtæ humanitati induit: fuit enim *tempore humiliationis formæ despectæ & nullius decoris* Es. LIII, 2. *Fuit lapis ab ædificantibus reprobatus.* 1. Pet. II, 7. 2. Lapidibus illis comparari potest *ministerium Spiritus*

S. qvod

S. qvod in rebus sacris â rationis humanæ artificiis, coloribus ac figmentis abhorret: Gaudet enim concio de Christo simplici & minimè fucato dicendi genere, nec persvadendi facultate sacri viri ex Rhetorum officinis mutuati sunt, qvemadmodum Paulus scribit 1. Cor. I, 7. *Misit me Christus evangelizare non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi.* Et 1. Cor. II, 4. *Prædicatio mea non est in persvasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus & virtutis.*

III. Sicut *ara fœderis* in medio populi ex utroq; latere circumstantis collocatur v. 33. Ità Christus in medio hominum statuitur tanqvam unicus mediator, cujus typus arca fuit, qvi semetipsum dedit pro omnibus ἀντίλυτρον, 1. Tim. II, 6.

## IV.

## *De vero DEI cultu.*

*Verus DEI cultus* non nititur humana autoritate, non longævâ consvetudine, sed *expresso verbo.* Ut enim Josue omnia hîc facit, secundum id qvod scriptum est in volumine legis Mosis: Ita S. scripturam tanqvam normam omnium actuum, qvibus DEum coli statuimus, seqvamur, nec inde latum ungvem nos abduci patiamur ad ἐθελοθρησκείας humanasq; traditiones, qvibus DEus offenditur, non colitur, Matth. XV, 9. Es. XXIX, 3.

## V.

## *De ministerio legis.*

Doctrina legis debet in Ecclesia qvovis tempore exerceri & auditoribus inculcari tàm stylo qvàm voce viva. Ut enim civem oportet nosse statuta urbis: ita veræ Ecclesiæ inqvilinos decet semper oculis & animis divina jura intueri, eorundemqve tenorem dictis & factis exprimere. *Est enim lex lucerna pedibus & via semitis nostris* Ps. CXVIII, 105.

Ac neqvis putet, legem Moralem esse adventu Christi abrogatam, renovat & repurgat eam â qvisqviliis pharisaicis Salvator & addit Matth. V, 17. *Non veni solvere legem, sed implere.*

2. Præcepta legis divinæ cohærent individuo nexu, omnia & singula sunt docenda & pari severitate proponenda, neqvidem ex illis unum intactum relinqvatur. Pollent enim æqvali autoritate, nec fieri potest, ut uno labefactato, cætera salva maneant. Iccircò prohibuit Christus unum de mandatis minimis solvere Matth. V, 19. Et Jacob dicit c. II, 10. *Qvi in uno præcepto offendit, factus est omnium reus.* Hanc ob causam scripsit Josua verba legis omnia, nec qvicqvam reliqvit intactum v. ult.

3. Ad disciplinam legis non obligatur saltem contempta plebs hominum, sed *obstringuntur etiam Duces & judices* v. 33. Multi, qvi ad gubernacula rerum publicarum sedent, abutuntur autoritate & potestate ad omnem licentiam & protervitatem, qvos DEus non inultos passurus sic alloqvitur Ps. LXXXI, 7: *Vos sicut homines moriemini, & sicut unus de principibus ca-*

*cadetis*. Qvod exitium qvi effugere cupiunt, vincula & funes legis patienter ferant, summam ejus dominationem agnoscentes, qvi aufert spiritum principum Ps. LXXV, 13.

VI.

## *De potestate legendi sacram scripturam, etiam idiotis concessa.*

Qvod *lectio sacrarum literarum* tàm idiotis seu prophanis, qvàm Clericis seu Ecclesiasticis personis libera, qvin potius præcepta sit, testatur *Josue* v. 33. dum testimonia legis super lapides coram filiis Israël, vel, ut Hebræus textus habet, *in conspectu filiorum Israël* i. e. ut Israëlitæ ea, qvæ scribebantur ipsi sæpius intueri & legere possent. Nam si hoc illis non licuisset, frustrà illa in conspectu populi scripta fuissent. Nemo autem negare, potest per filios Israël intelligi non tantùm sacerdotes, sed etiam gregem vulgi, seu ut 35. versus explicat, multitudinem Israël, mulieres, parvulos & advenas. Impia itaq; & diabolica tyrannis est, simpliciorem turbam â sacri codicis lectione arcere.

VII.

## *De ordine in conventibus Ecclesiasticis utili & necessario.*

In *sacris conventibus* nihil est *bono ordine* utilius, nihil laudabilius, nihil honorificentius. Observetur autem *duplex ordo: Unus in occupandis locis*, ne homines instar gregis suilli misceantur, sed alii alios locos occupent pro diversitate dignitatis aut ætatis juniioribus conspicuæ. Qvemadmodum hîc una pars Israëli-

ta-

tarum tenet montem Garizin, altera montem Hebal, Levitæ propter officii dignitatem ſtant cum arcæ in medio. *Alter ordo* obſervetur *in ceremoniis & actibus*: nam alia aliis temporibus conveniunt: ſicut hîc prius benedictio fit ſolennis: poſtea inſtituitur recitatio verborum legis. Sic in noſtris Eccleſiis aut cœtibus annitendum eſt, *ut omnia fiant* εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν. 1. Cor. XIV, 40.

# CAPUT IX.

Ἐποχή.

IN *hoc capite* continetur *aſtutum & fraudulentum facinus Gibeonitarum*, qvi cum ex feliciſſimis Iſraëlitarum victoriis in meticuloſam illam opinionem conjecti eſſent, fore, ut & ipſi more Hierichunticorum & Hainenſium extremo exitio & interitu mactentur: aſtutum hoc conſilium iniverunt, ut per legatos prætextum ex remotiſſimis locis adventantium ementitos ab Iſraëlitis fœderis ſocietatem peterent, qva impetrata omniq; fraude detectâ, Joſuæ religio fuit datam fidem frangere. Verùm ut fallaciæ ſuæ ſupplicium omnibus ſeculis ſuſtinerent, deſtinavit & addixit eos perpetuæ ſervituti.

*Partes capitis ſunt duæ.* I. Continet *conſilium Gibeonitarum fraudulentum* e jusqve cùm πρόθεσιν, tùm πρᾶξιν â v. 1. usq; ad 14.

II. Habet *conſilii & inſtituti eventum*, qvi eſt partim optatus, partim moleſtus. Nam recipiuntur qvidem Gi-